

esse ratiocinantis judicio debebat. Vox enim *συντελεῖν consummandi* notionē plerumque gaudet, sive *perficiendi* & ad finem deducendi, siquidem derivationem sortitur ἀπὸ τῆς τέλεως aut qua *finem* notat, quae significatio nota est ex ipso codice sacro, ubi e. c. Christus ipse τὸ τέλος legis, ejus finis & consummatio appellatur Capite sequ. X. Epistolae nostrae v. 4. aut qua denotat *vectigal* aut pensitationem tributi, ut *συντελεῖν λόγον* idem sit, ac circa rationes accepti & expensis versari, legitimum computum formare, & eum consummare addendo & multiplicando, donec prodeat summa certa. Ita hanc vocem Graecis Scriptoribus, eorumque purissimis acceptam novimus, nam HERODIANVS, qui styli virtutibus vix historicorum ulli cedere, PHOTIO ac VOSSIO censetur, ubi de variis causis mortis differentem Laetum introducit, dicitque, non unam omnibus esse, διάφοροι δὲ γενοῦ pergit, εἰς ἐν τέρμα βίος συντελέστω: diversae cum sint, cunctae ad eundem vitae tendunt finem: Ita POLITIANVS expressit, haud quidem, ut putamus, sufficienter pro virtute vocis, quam malimus reddere, *unum in finem computantur*, & unum tandem numerum, Summam seu Productum, quod mors est, constituunt. L. II. c. II. Idem Scriptor annos Antonini computans, dicit, quod omne tempus imperii ipsius συντελέσθη ἐν ἔξι ἑτεσι, contineatur 6. annis, aut mensuram seu numerum compleat sex annorum L. IV, c. XIV.

X.

Egregie vero de Deo dicitur, quod sit *συντελῶν τὸν λόγον* atque rationes de hominibus omnibus ineat, eosque non modo nasci jubeat, verum etiam omnes ac singulos ad regnum suum vocet, vocationi qui obicem malitiose non ponunt, regeneret, convertat atque in sinum Ecclesiae recipiat. Haec enim est vera *consummatio computi*, quo tum omnes ac singuli homines, tum speciatim illi, qui in Eccle-

B

sia